

DE FORTVNA MVLTIPLICIQUE EIVS  
IMAGINE ET COGNOMINE AD V. C.  
ALEXANDRVM GVARINUM  
SYNTAGMA XVI.

Ingens Herculei decus senatus,  
Idemque Aoniae pater cateruae,  
Vnus nam pote sustinere curas  
Magni principis, et praeesse rebus.  
Idem et Rhetoricos doces colores,  
Et priscos simul explicas poetas.  
Quare, quem tibi dedico libellum,  
Quo Fortuna dea est relata paucis,  
A tot si liceat uacare curis,  
Hunc lima expolias seueriore,  
Tentesque indice Lydio rogamus,  
Ne fallax dea ludat hinc et inde.

LILIVS GREGORIVS GYRALDVVS  
Alexandro Guarino S. P. D.

Eccum tibi de Fortuna libellum, Alexander Varine, uir doctissime, quem contradictionibus his brumae diebus confeci. Et ea de causa potissimum tibi a me dono datur, ut testis sit nostrae inter nos beneuolentiae, a primis usque adolescentiae nostrae annis initae, cum sub sanctissimo uiro ac doctissimo parente tuo, Baptista Guarino, bonis literis et moribus operam utrique daremus. Cuius ego uiri memoria, hac infirma ualetudine et aetate adhuc recreor. Et licet ego longo tempore peregre profectus, a patria procul, uariis Italiae urbibus abfuerim, nihilominus cum sese occasio offerebat, nostrum uterque mutuum inter nos operam dabat. Sed haec omnibus notiora. In hoc certe libello uidebis, quantas Fortuna uires sibi uendicet, in primis cum de nobis utranque paginam faciat. Tute certe uirtute tua fultum, ac prudentia cognosces, trophaeum tibi de Fortuna et quidem illustre erexisse. Me uero uariis ac miris exemplis a Fortuna exagitatum, demum manicis compedibusque uinctum, in triumpho ductum, omnibus amissis cum Fortunae bonis, tum amicis, ita ut pene destitutus uidear: nec nisi unus aut alter amplius mihi superest amicus. Sed querelas mittamus. Tu interea sumas hoc quaecunque est libelli, et boni aequique consulas. Nam si paria meritis referre non possum, grati tamen animi significationem hoc libello testatam relinquam. Vale.

[p.628]

FORTVNA

Fortunam, Alexander Guarine uir doctissime (ut probe tenes) deam gentes credidere. hinc illud Iuuenalis:

Sed te Nos facimus Fortuna deam, caeloque locamus.

Plautus in Pseudolo: Centum doctum hominum consilia haec deuincit dea Fortuna, atque hoc uerum est: perinde ut quisque Fortuna utitur, ita praecellit, atque exinde sapere eum omnes dicimus. Speusippus philosophus Fortunam definiuit, motum ab occulto in occultum esse. Anaxagoras et Democritus, Stoicorumque nonnulli, Fortunam existimarunt esse causam humani rationi minime manifestam: at Plato ipse σύμπτωμα φύσεως, ἢ προαιρέσεως esse statuit: hoc est, Symptoma uel accidens naturae, uel electionis, et causam eorum quae secundum aliquod accidens fiunt. cui non dissentit Aristoteles. Proclus in Platonis Timaeo daemonis potestatem putat, causas inter se diuulsas congregantem. M. Cicero de Diuinatione: Quid est enim, ait, aliud sors, quid fortuna, quid casus, quid euentus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic euenit, ut uel non cadere atque euenire, uel aliter cadere atque euenire poterit? Vnde et alii ita definiere: Fortuna est accidentium rerum subitus ac inopinatus euentus. Graece uero Fortuna Τύχη dicitur. Pausanias in Messeniacis. Fortunae, id est Τύχης mentionem apud Graecos primum ait carmine fecisse Homerum, qui in hymno ad Cererem, quem in praesenti non habemus, alias Oceani filias enumerans, cum puella Proserpina ludentes, et Tychen quoque ipsam, ut unam ex Oceani filiabus, his uersibus cecinit:

Λευκίππη, Φαινῶ τε, καὶ Ἥλέκτρα, καὶ Ἴάνθη,

Μηλόβασίς τε, Τυχὴ τε, καὶ Ὠκυρὴ καλικῶπις. id est,

Leucippe, Phaenoque, et Electra, et Ianthe, Melobasis, Tycheque, et Ocyroe pulchriocula.

Et nihil ille de Tyche, id est Fortuna amplius. At uero Bupalus, qui templa construere et animalia optime effingere nouerat, omnium primus Fortunae statuam Smyrnaeis effecit, polum capite sustinentis, manuque Amaltheae cornu. Post haec et Pindarus deam ipsam celebrauit, eamque Pherepolon nominauit. haec ferme ex Pausania. quem quis mirari possit ita dixisse, cum ante Homerum eius Orpheus meminerit in hymno, quem Fortunae cum thuris, id est Libani thymiamate

concinuit. Fuit adhaec et Aegeae, quae urbs prius Hyperesia uocabatur, Fortunae simulachrum ferentis similiter cornucopiae: iuxta quam Cupido erat alatus. Qua ex re significari putat [p.629] Pausanias, quod ea etiam quae ad amorem pertinent, fortuna magis quam pulchritudine et forma recte soleant mortalibus succedere. Effingebatur quidem Fortuna, teste Lactantio libro tertio, cum Cornucopiae, et gubernaculo, tanquam opes tribuere putaretur, et humanarum rerum regimen obtinere. Hinc et philosophi, eodem auctore, eius sexum mutantes, deum uocabant: et eandem modo fortunam, modo naturam nominabant: quo loco et alia multa de Fortuna disserit. Eandem, ut Eusebius scribit, in pila sedentem ueteres effingebant, et alas addebant. Ideo Horatius de Fortuna ita cecinit: Nunc tibi, nunc mihi benigna, laudo manentem, si celeres quatit pennas. Thebanus Cebe in Tabula ita effinxit: Sed mulier, inquit, illa quaenam est? quae uelut caeca atque insana, super lapide quodam rotundo consistere uidetur? Fortuna, inquit, uocatur. ea autem non solum caeca, sed insana etiam et surda est. Quaenam huius sunt partes? Obambulat, inquit, quocumque gentium, et aliis quidem facultates eripit, aliis tradit: ab eisque rursus aufert quae tradiderat, atque aliis temere tribuit. unde hoc argumento facile declaratur, cur in rotundo lapide consistat: et caetera, quae non illepide subdit ille. Artemidorus Daldianus in libro Onirocriticon, Fortunam sedentem super cylindrum aliquando, aliquando comptam ornatamque, aliquando incomptam sordidamque describit: et cum gubernaculo, ut iam dicimus. talemque saepe nos in uetustis nomismatibus signisque marmoreis uidimus. Iuuenem alibi idem Artemidorus mulierem Fortunam describit: cuius uerba, quoniam et ad alios deos faciunt, hic subdidi: Mercurius, inquit, iuuenis et adolescens, Hercules iuuenulus, Iupiter uir, senex Saturnus, Dioscuri Gemini adolescentes: Spes uirgo, Diana et Minerua. Spes quidem ridens, Diana casta facie, Minerua Gorgon intuens: Fortuna mulier iuuenis, uetus Vesta: Parcae tres mulieres uestitae, nudae Horae, lauantes Nymphae. Hoc totum ille. Alii inter maris unda

mensam Fortunae, et libatis super eam. uel ut LXX exponunt: Qui paratis Fortunae mensam et impletis daemone poculum, [p.630] uel mixtam potionem. quo loco Hieronymus: In urbibus, ait, omnibus, et maxime in Aegypto, ueterem fuisse consuetudinem, ut ultimo die anni et mensis, eorum qui extremus est, ponant mensam refertam uarii generis epulis, et poculum mulso mixtum, praeteriti anni et futuri fertilitatem auspicantes. Pausanias in Achaicis, ait Pindaro se fidem habere canenti, Fortunam Parcarum unam esse, praestantissimamque sororum. Idem in Boeoticis Fortunae sacellum fuisse, in quo ipsius deae simulachrum esset, Plutum diuitiarum deum puerum tenentis. id quod innuere uidetur, Fortunam ipsam diuitiarum esse matrem atque nutricem. huius quidem simulachri manus et faciem Xenophon Atheniensis, reliqua Callisticus indigena effinxerat. CL. Galenus in suasoria (si legitimus liber est) Fortunae, inquit, indicare nequitiam cum antiqui uellent, illam uel pingentes, uel fingentes, foeminae specie formabant: non contenti, gubernaculum illi attribuebant: tametsi foeminea leuitas satis erat. orbem pedibus supposuerunt: tum etiam et caecam, ut eius inconstantiam indicarent. Haec ille ferme, et caetera quae sequuntur. Non defuere et qui nostro tempore non insulse Fortunam in equo uelocissimo constituere, et currentem eam Fatum arcu intento insequi: Fortunae instabilitatem pernecitatemque significantes, eamque fatiui semper agi. Sedenim de equestri Fortuna in hoc, suo loco agam.

Fuere et qui eandem duplici facie formauere, nigra altera, altera alba, bonamque malamque significantes. alii eandem cum Occasione effinxere, hoc est capillatam fronte, occipitio caluam, alatum pedibus, pilaeque insistentem, manu nouaculam tenentem, ut eam effinximus primo Syntagmate. Sed et Sophocles in Antigone:

φρόνει βεβηώς ἄν νῦν ἐπὶ ζυροῦ τύχης: hoc est,

Sape denuo nunc positus in nouacula fortunae. Sed nimius sim, si uelim quae legi, simul nunc cuncta complecti. Sed D. Augustinum par sit audire, ita in septimo de Ciuitate Dei scribentem: Fortunam certe deam, inquit, antiqui dixere, non rationabili dispositione, sed ut temere acciderit, sua cuique dona conferre. De hac Salustius: Sed profecto Fortuna in omni re dominatur, ea res cunctas ex libidine magis quam ex uero celebrat obscuratque. Seneca tamen, ut Stoicus, in epistolis inquit: Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna. ualentior enim omni Fortuna est animus, qui in utranque partem res suas ducit, beataeque ac miserae uitae sibi causa est. atque ideo illud ab Iuuenale scribi putarim:

Nullum numen abest, si sit Prudentia: sed te Nos facimus Fortuna deam, coeloque locamus.

Et ut inquit Pausanias, Nihil sane fortuna fit: hoc est, μηδὲν ἦνευ Τύχης. Certe Plinius de Fortuna [p.631] ita argute exclamat: Toto, inquit, mundo, et locis omnibus, omnibusque horis, omnium uocibus Fortuna sola inuocatur, et una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitur, sola laudatur, sola arguitur, et conuiciis colitur, uolubilisque, a plerisque uero et caeca existimata, uaga, inconstans, incerta, uaria, indignorumque faulrix: huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utranque paginam facit: adeoque obnoxiae sumus sortis, ut Sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incerta. haec Plinius. At cur non et Pacuianos uersus hoc loco ascribimus, praesertim Fortunam commentantes, quos et ad Herennium Gallio, uel quisquis ille fuit qui ad eum Rhetorica scripsit, attulit? hi uero sunt: Fortunam insanam esse et caecam, et brutam perhibent philosophi,

Saxoque instare globoso praedicant uolubili.

Ideo quo saxum impulerit sors, eo cadere fortunam autumant.

Caecam ob eam rem iterant, quia nihil cernat, quo sese applicet.

Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisque sit.

Brutam, quia dignum atque indignum nequeat internoscere.

Sunt autem alii philosophi, qui contra Fortunam negant

Miseriam esse ullam, sed temeritate omnia regi, id magis

Verisimile aiunt, quod usus reapse experiundo edocet,

Velut Orestes modo fuit rex, modo mendicus factus est.

Naufragio res contigit: nempe ergo haud fortuna obtigit.

Et haec Pacuuius. Hinc, opinor, illud inter adagia connumeratur, Fortuna Euripus: de inconstantia et uarietate rerum. Extat quoque uel Vergilii, uel alterius de Fortuna Asclepiadeum. item et alterum Annaei Senecae, quibus dea haec praeclare describitur. Nihil praeterea uetat, quae de eadem argute quidem et docte, ut solet, dure licet atque incompte, scribit Martianus, afferre: Tunc etiam, inquit, omnium garrula puellarum, et contrario semper fluibunda luxu, leuitate pernix desultoria gestiebat, quam alii Fortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tycheaque quamplures, aut Nortiam. Haec autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat, et aliis impertiens, repentinis motibus conferebat, rapiens his comas pueriliter, caput illis uirga comminuens, eisdemque quibus fuerat eblandita ictibus crebris uerticem, complicatis in condylos digitis uulnerabat. dein et paulo post subdit: Haec mox ut facta conspexit omnia quae gerebantur, in Iouis consistorio subnotari, ad eorum libros et pugillarem paginam cucurrit, et licentiore quadam fiducia, quae conspexerat inopinata descriptione corripuit, ut quaedam repente prorumpentia, uelut rerum seriem perturbaret: [p.632] alia uero, quae causarum ratio prospecta uulgauerat, quoniam facere improuisa non poterat, suis tamen operibus arrogabat. atque hactenus Martianus, de nomine, ui et potestate Fortunae, eiusque natura, erudite, si minus eleganter, perscripsit. Quare iam satis de hac. nam de Fortuna multorum uersus afferre possem, ut Beroaldi et Baptistae Carmelitae. Sed et ego pastorali ac bucolico quodam meo poemate adolescens satis multa lusi: quibus omnibus missis,

nostrum prosequamur institutum. Multis est Fortuna cognominibus nuncupata. nam Bona Fortuna Romae in Capitolio culta fuit, Mala in Exquiliis. de hac Cicero, de illa Plinius meminere. haec graece κακή τύχη: illa εὐτύχη, uel quod magis est in usu, ἀγαθή τύχη uocata est, ut uel in Ceбетis tabula uidetur. Haec et prospera dicta et secunda et laeta: ut illa tristis, sinistra et laeua. Agathes quidem Tyches statua Athenis fuit apud Prytaneum, quam miro exemplo adolescens deperibat adeo, ut eo demum uaesaniae peruenerit, ut sibi ipsi manum consciuerit. Vidi antiquam Bonae Fortunae imaginem cum hac inscriptione: ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. Erat autem in solio sedens mulier stolata, subtristis, cuius dexterae dextram iungere uidebatur adolescentula egregia forma ac liberali, quae ante illam stabat. Post uero matronam sedentem, puellula quaedam manum supra scabellum tenere, et inniti uidebatur. Huius picturae interpretationem esse arbitror, ut anus illa in scabello sedens praeteritam Fortunam significet, atque ideo subtristis: formosa uero adolescentula, quae dextram dextrae iungit, praesentem Fortunam denotat. at puellula, quae post matronae scabellum attingere uidetur, futuri temporis Fortunam prae se fert, ut pote quae ad maturam aetatem nondum peruenerit: sed eiusmodi inscriptio in graecis uetustis marmoribus frequens reperitur. Memini quoque me uidere pulchram mulierem cum Cornucopiae. quin etiam caduceum uidi, in cuius uertice alatus pileus erat, et utrinque duo cornucopiae, caduceum ipsum complectebantur: idque significare, eloquentiae et doctrinae comitem esse bonam fortunam, credebatur.

Aurea Fortuna in primis etiam nuncupata. hanc in cubiculis Imperatorum haberi solitam legimus. haec et morituro ipso praesente, transferebatur ad successorem: unde factum est, ut auream alicui Fortunam dicamus. Hanc uero et Regiam Spartianus in Seuero nuncupauit.

Praenestina Fortuna appellata, et Praenestinae sortes, de quibus hic agendum ex M. Ciceronis uerbis: Numerium Suffustum, uel Suffusium, ut Praenestinatorum monumenta declarant, uirum admodum clarum fuisse accepimus. hic cum assiduis insomniis, etiamque minacibus, iuberetur certo in loco silicem excidere, perterritus dicitur sic, [p.633] ut agere id incoeperit ridentibus ciuibus. Sed praefracto

saxo, erupisse sortes, quae in robore forent insculptae, priscarum literarum notis. Quin eodem quoque tempore mel ex olea fluxisse tradunt. et haruspicum monitionibus factum, uti ex eadem olea fieret arcula, et in ea reconditas sortes: ad quas praemonente Fortuna Romani Pontifices accedebant, et pueri manu commixtas educere solebant. ac talis quidem Praenestinarum sortium origo traditur. Fani pulchritudo et uetustas harum sortium, etiamnum tempore Ciceronis nomen retinebat. Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem, quam Praenestae, uidisse Fortunam. Idem Cicero libro secundo de Diuinatione prodidit. Legitur et hodie antiquum epigramma de Fortuna, quae Praenestae dicata fuerit, cuius hi primi uersus:

Tu quae Tarpeio coleris uicina tonanti,  
Votorum uindex semper Fortuna meorum,  
Accipe quae pietas ponit tibi dura merenti, etc.  
Lucanus in secundo,

Vidit Fortuna colonos Praenestina suos.

Ouidius,

Et Praenestinae moenia sacra deae.

Silius,

Sacrisque dicatum Fortunae Praeneste iugis.

Stadius in Syluis,

Et Praenestinae poterant migrare sorores.

Ideo uero sorores a Statio dictae, quod Praenestae colerentur, sub duarum sororum effigie: hoc est, bonae malaeque Fortunae. Suetonius Tranquillus in Domitiano: Satis laetam, inquit, foelicemque sortem, Praenestina Fortuna per nouennium dedit, insequenti anno tristissimam reddidit. Habet, inquit Strabo libro V., Praeneste Fortunae templum illustre, unde certa eduntur oracula.

Nortiam etiam Fortunam uocatam legimus, ut ex citatis Martiani uerbis patet. Porro et Sutrinorum deam Nortiam, ex Tertulliano, in deis Topicis iam dictum est. Est uero Sutrium notissima urbs Hetrusca. Sed et T. Liuius libro VII. ab Vrbe Condita: Volsciniis, inquit, clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Hetruscae deae comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat. Qua re cum ita sit, nescio unde in mentem uenerit literatis quibusdam, ut deam hanc Horchiam potius quam Nortiam appellandam scripserint. Fuit et Nursia dea Volscinensium, nisi nos fallant Tertulliani codices in Apologetico. Nortiae meminit et Iuuenalis in X. Nortia Thusco fauisset. licet

codices et interpretes euariare uideantur. quidam enim non Nortiam, sed Nursiam, alii et Murciam legendum putant.

Equestris Fortuna cognominata et culta in urbe fuit, cuius aedes a Fulvio Flacco posita fuit, ut Valerius Maximus et Lactantius [p.634] scribunt. Liuius III. Decadis libro decimo, historiam est executus: Cum enim Fuluius Flaccus Celtiberos in Hispania fudit, aedem Fortunae equestri, Iouique Optimo Maximo ludosque uouit. hinc detractis frenis equis, ut maiore ui atque impetu in hostes incurrerent equites Romani: quare uictoriam obtinuit. Idem Liuius libro secundo quintae Decadis Q., inquit, Fuluius Flaccus Censor aedem Fortunae equestri, quam proconsul in Hispania dimicans cum Celtiberorum legionibus uouerat, annos sex postquam uouerat dedicauit: et scenicos ludos per quatrimum, unum diem in circo fecit. eo uero studio faciebat, ne ullum Romae amplius aut magnificentius templum esset: magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulae marmoreae essent. profectus in Brutios, Iunonis Lacinae ad partem dimidiam detexit: id satis fore ratus ad tegendum, quod aedificaretur, etc. Fortunae equestris aedem Systolon ad theatrum lapideum, Victruius in tertio fuisse scribit. Quare id mihi mirum uidetur, quod ait Cornelius Tacitus in tertio, Romae Fortunam equestrem non fuisse. Cum enim, inquit, equites Romani pro ualetudine Augustae donum uouissent equestri Fortunae, et eius cognominis nullum tum Romae esset, illud Antium miserunt, ubi eo nomine colebatur. Tantum hoc monere uolui, cum Tacitus alias diligentissimus antiquitatis fuerit.

Breuis Fortuna, quae et parua dicebatur. Huius aedes fuit Romae a Seruio Tullio rege extracta, ut Plutarchus in Quaestionibus Romanis exponit. In hac aede signum sua praetexta ornatum dicasse ferunt et longo tempore incorruptum mansisse.

Dubia etiam Fortuna cognominata, cuius uicus in Auentino, hoc est, in XIII. urbis regione, ut P. Victor tradit.

Propria, uel priuata Fortuna, hoc est, *ιδία*, cognominata a Romanis fuit, de qua sic Plutarchus: *Idiae*, hoc est, priuatae Fortunae delubrum in Palatio fuit.

Virgo Fortuna, hoc est, *πάρθενος* appellata fuit, eodem Plutarcho auctore, cuius ad fontem muscosum fanum fuit. de hac intelligit Arnobius libro secundo aduersus Gentes, cum

ait, Puellarum togulas ad uirginalem defertis Fortunam.

*Εὐελπίδος Τύχης*, id est Bonae spei Fortunae in magno angiportu aedem fuisse, idem qui supra Plutarchus meminit, et in Quaestionibus, ubi interpret Bene sperans exposuit.

Masculae quoque Fortunae, id est *ἄρρενος Τύχης* aediculam Romae fuisse idem prodit Plutarchus prope Veneris templum. Qui et hoc ibidem ait: Ad haec, inquit, et sexcenta alia honorifica Fortunae cognomina, quorum Seruius rex bonam partem dicauit. Fuit et Fortunae thalamus, cuius loci idem Plutarchus meminit: Quid est, inquit, quod portam unam [p.635] *θυρίδα*, id est fenestram appellant, apud quam Fortunae thalamus qui dicitur, positus est. Problema est XXXV.

Caeca Fortuna cognominata fuit, ut ex Pacuiano uersu recitauimus. Cicero in Philippica, Deinde obsecro uos P. C. quis haec uestrum non uidet, quod Fortuna ipsa, quae dicitur caeca, uidit? Idem in libro de Amicitia: Non enim sola Fortuna ipsa caeca est, sed eos etiam plerunque efficit caecos, quos complexa est. Sed non modo a Latinis caeca dicta est Fortuna, uerum etiam a Graecis. Hinc Cebes: *Τυχή*, inquit, non solum *τυφλή*, id est caeca, sed et insana et surda. hoc est, *ἀλλὰ καὶ μαινομένη, καὶ κωφή*. Sed et Martialis caecam nuncupat et Plinius. D. uero Augustinus: Vt quid, inquit, colitur, quae ita caeca est? Quo eodem capite, hoc est XVIII. quarti libri de Ciuitate Dei, multa deam ipsam irridens attulit. Porro et eadem causa Apuleius exoculatam Fortunam uocauit. Nunc quis nos uetet, multa de Fortuna breuibis concludere? Libanius rhetor Christianorum hostis, Fortunae occultas insidias significare uolens, *ὕφαλος* Fortunae dixit. Est uero Hyphalus saxum sub salo occultum et caecum, quae Vergilius caeca saxa et latentia appellauit. *Εὐριπος Τύχη*, id est Fortuna Euripus, aestuans. Fuerunt plures Fortunae aedes Romae, ut Malae et detestatae in Exquiliis, Fortunae Fortis in ripa Tiberina, Equestris iuxta theatrum. Fuit et templum Fortunae breuis, hoc est paruae, quae et Pusilla ab aliquibus dicta est. Fuit et *παρθένου*, hoc est uirginis Fortunae. Aliud Primigeniae, aliud Obsequentis ad Capenam portam. Fuit et Priuatae, et Viscatae, et Publicae, et Virilis, et Bene sperantis, id est *εὐελπίδος*: et *ἀποτροπαίου*, id est auertentis: et blandae, hoc est *μειλίας*, licet *μειλίας* in graeco Plutarchi codice legatur: item Fortunae dubiae in

Auentino, et Mammosae in duodecima regione, et Barbatae, et Muliebris, quibus fere omnibus Seruius Tullius rex principium dedit, quod a Fortuna ipsa ex seruo in regnum esset euectus: idem praeterea rex prospiciens Fortunam ipsam in rerum occasionibus plurimum momenti habere in utranque partem, quod Plutarchus et Plinius scribunt. de quibus omnibus et de aliis nonnullis, prout uel rei uel memoriae ratio suppeditarit, agemus. Ad haec legimus, aedem Fortunae in aurea domo struxisse principem Neronem, ex puro candido ac lucido lapide, adeo ut etiam nullis adopertis foribus intus esse lux inclusa uideretur, ut pluribus paulo post.

Occasionem possemus et hoc loco ascribere, sed eam primo Syntagmate descripsimus: qua occasione et quidam Caluam Fortunam dixerunt.

Ἀυτοματία Τύχη, id est Spontanea, uel ultronea Fortuna appellata, [p.636] et culta a Siculis. nam cum Timoleon ex Sicilia tyrannos eiecisset, ideoque ipsi multi inuiderent, quod scilicet ab omnibus laudaretur, ipse, ut inuidiam declinaret, Fortunae, quam αὐτοματίαν uocant, templum erexit: fassus, neque ui, neque prudentia sua, sed Fortunae auxilio illa se perfecisse. Auctores, Plutarchus et Aemilianus Probus. αὐτόματα enim ea graece dicuntur, quae sponte sua mouentur et fiunt, ut machinae quaedam.

Seiae Fortunae aedem scribit libro trigesimo Plinius, fuisse a Nerone constructam, quam Seiam appellatione dicebat. An uero haec Seia esset, quam Augustinus ex Varrone ait praepositam, quam diu segetes sub terra essent, cuius et Macrobius in Feriis meminit, et Plinius idem XVIII. libro, ut ante docuimus, id est in primo Syntagmate, non plane conuenit: etsi quidam, qui se bene Romanas antiquitates docuisse arbitrantur, eandem faciunt. nam locus Plinii, unde illi sunt decepti, ita legendus est capite uigesimosecundo libri trigesimisexti: Nerone principe, in Cappadocia repertus est lapis duricia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua parte fuluae inciderant uenae, ex argumento Phengites appellatus: hoc construxerat aedem Fortunae, quam Seiam appellatione dicebat, a Seruio rege sacratam, aurea domo complexus. quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa. haec Plinius. Sane locum hunc Hermolaus ita castigat: Aedem Fortunae, quam Sellam appellant: Vetusti, inquit, codices

aedem Fortunae, quam Seiani appellatione dicebat, hoc est, Nero princeps. De Seiana Fortuna et equo, Gellius et Suetonius. Ostenditur et nunc Seiani antrum in ora Campaniae, haud procul Pausylipo. Caeterum de equo Seiani plurima in Prouerbiis leguntur.

Publica Fortuna Romae culta in ualle Quirini, quae inter Exquilias fuit, et inter Quirinalem collem. meminit Ouidius Fastorum quarto:

Qui dicit, quondam sacrata est ualle Quirini,

Hac Fortuna die publica, uerus erit.

P. Victor uidetur In colle legere, non In ualle.

Viscata, hoc est, ἰξευτηρία Fortuna ab antiquis nominata fuit, cuius Romae aedem fuisse accepimus: uti ab ea nos capiamur. hinc et a Seneca dictum, Viscata esse beneficia. Huius uero Hixeuterae Fortunae meminit Plutarchus in Quaestionibus Romanorum, cuius haec sunt uerba a me expressa: Tum Fortunae ἰξευτηρίας templum est, quam Viscatam nominant. Vnde mirum mihi uidetur, quod in libro de Fortuna Romanorum, Budaeus potius uiscatricem, quam uiscatam transtulerit: quod nomen etsi ridiculum uidetur, ut ait Plutarchus [p.637] non ab re tamen, si per translationem dicas, tenaciter attrahentis quicquid illi haeserit.

Virilis Fortuna, hoc est, ἀνδρίας Τύχη, culta et cognominata fuit, ut Plutarchus scribit de Fortuna Romanorum, Ancum Martium Romanorum regem uirilis Fortunae templum erexisse: quod ad uictoriam plurimum Fortuna conferat. Dionysius uero Alicarnasseus libro Historiarum quarto, ait Seruium Tullium superatis Hetruscis, cum quibus XX annis continenter pugnauerat, rebus compositis duo templa Fortunae construxisse, qua per omne uitae tempus uisus erat uti prospera: alterum in foro boario, alterum ad ripas Tiberis, ei quam Virilem appellauit. De sacro autem Virilis Fortunae Ouidius IIII. Fastorum:

Discite nunc quare Fortuna thura uirili

Detis eo, gelida qui locus humet aqua.

In hoc uero templum uentitare solitas mulieres legimus, quae nuptui dabantur: et corpore nudato, ne quo uitio aut labe essent affectae, explorabantur. Scribit Plutarchus, Seruium regem Fortunae regnum acceptum retulisse. quin uulgo etiam praedicabat, consuetudinem sibi esse cum Fortuna, eamque per fenestram quandam ad se delabi in cubiculum solitam. et subdit: ab ipso rege in Capitolio fanum constructum Fortunae Primigeniae, quam

πρωτογένειαν Graeci uocant. de qua illud esse, quod modo recitabam, crediderim,

Tu quae Tarpeio coleris uicina Tonanti.

Fuit et in colle Quirinali, de qua T. Liuius libro quarto de bello Macedonico: Aedes, inquit, Fortunae Primigeniae in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Hala Duumuir ad ipsum creatus, uouerat eam X annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus, locauerat idem Censor. Meminit et in quintae Decadis libro tertio, in aede Primigeniae Fortunae, quae in colle est, duo diuersa prodigia: palmam in area enatam, et sanguinem interdium pluisse. Plutarchus Primigeniam ait Fortunam Romani coluerunt. causam hanc affert: An, inquit, Seruio ex Serua nato Romae summa cum laude et splendore imperari contigit, ut plerique ex Romanis existimant? An illud magis, quod Fortuna urbi et imperium et originem praestitit. An altior quaedam (inquit) ratio, et magis a natura, ex media deprompta philosophia: Fortunam scilicet rerum omnium principium esse: Naturam uero κατὰ τύχην, id est secundum Fortunam consistere.

Malam etiam Fortunam quidam uocauere, cuius aedem in Exquiliis Romae fuisse, apud mihi suspectum scriptorem legi.

Fortem Fortunam, quam φορτικὴν Τύχην graeci uocant, Romani coluere, et a Tullio rege primum dedicatam fuisse legimus: tum et ab aliis postea. Fuit uero iuxta fluuium in hortis a Caesare [p.638] populo relictis, ut Plutarchus scribit. Sed longe ante hanc eius cellam, T. Liuius libro septimo tertiae Decadis Romae, inquit, intra cellam aedis Fortis Fortunae de capite signum, quod in corona erat, in manu sponte sua prolapsum. Idem T. Liuius libro X. ab Vrbe Condita Papyrium, ait, post triumphum de reliquo aere, quod in aerarium intulerat, aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locasse, prope aedem eidem deae ab rege Seruio Tullio dedicatam. qua de re et Varro de Lingua latina. Dies, inquit, Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicauit. Donatus in Phormione Terentii: Fortuna, inquit, dicta est res incerta: Fors Fortuna, euentus Fortunae bonus. Idem et paulo post: Aliud Fortuna est, aliud Fors Fortuna. nam Fors Fortuna est, cuius diem festum colunt, qui in arte aliqua uiuunt. huius aedes trans Tiberim est. dies autem Fortis Fortunae festus octauo Calend. Quintiles agebatur, ut in antiquis Fastis et apud Ouidium

notauimus, cuius hi uersus in sexto Fastorum leguntur:

Quam cito uenerunt Fortunae Fortis honores,  
Post septem luces Iunius actus erit.

Ite deam laeti Fortem celebrate Quirites,  
In Tybeis ripa munera regis habet.

Apud Nonium Marcellum Actius poeta in Actyanacte, Fortunam a Forte distinguit. ita enim dicit: Quo captus modo Fortunane an Forte reperiatur. Catullus seorsum enunciat:

Agnoscam, cum te reducem Fors prospera sistet.

M. Tullius in L. Pisonem: Sed omitto ut sit factus uterque nostrum. Sit sane Fors domina campi. Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum. Tibullus, Fors iuuat audentes. Sedenim hic Tibullus ad prouerbum respicit, quod est, Fortes Fortuna: de quo Cicero secundo Tusculanarum: Fortes enim non modo Fortuna adiuuat, ut est in ueteri prouerbio, sed multo magis ratio. Ouidius secundo Fastorum: Audentes Forsque Deusque iuuat.

T. Liuius: Fortes Fortunam adiuuare aiebant. Est et in Vergilii carminibus.

Redux etiam a Romanis cognominata, et a Domitiano Caesare in primis: unde Martialis in octauo:

Hic ubi Fortunae Reduci fulgentia late  
Templa nitent.

Claudianus item:

Aurea Fortunae reduci si templa priores  
Ob reditum uouere ducum, non dignius unquam

Haec dea pro meritis amplas sibi posceret aedes, etc. [p.639]

Multa praeterea extant nomismata, illa quidem uetusta, diuersorum Caesarum, in quibus et imago est, et iscriptio REDVCIS Fortunae.

NEMESIS Rhamnusia et Adrastia, eadem diuersis de causis sic appellata, ideo et nos simul describemus. Plato in quarto de Legibus Dialogo, pulcherrime deam Nemesin, quae quid quemque facere deceat, ostendit, ita describit: Omnibus, inquit, praeposita est Nemesis, iudicii angelus, omnium huiusmodi consideratrix, quo loco Platonici interpretes multa subtiliter de hac dea. Sed et Ammianus Marcellinus his uerbis: Dea est ultrix facinorum impiorum, bonorumque praemiatrix, arbitra rerum, regina causarum, quam theologi ueteres fingentes Iustitiae filiam, ex abdita quadam aeternitate tradebant, omnia despectare terrena. Quae uerba ex

Orphei ad Nemesin hymno desumpta uidentur. Proclus uero in Hesiodum, Iustitiae nuntiam, non filiam scribit. quod et Plato, ut modo relatam, testatur: licet Ficinus, Iudicium pro Iustitia reposuerit. Pennas ideo huic deae fabulosa uetustas aptauit, ut adesse uelocitate uolucris cunctis existimaretur. Eidem gubernaculum dedit, et rotam subdidit, ut uniuersitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoraretur. Macrobius uero, Nemesin contra superbiam coli, esseque Solis potestatem arbitratus est. cuius haec natura sit, ut fulgentia obscurat, et quae sunt in obscuro illuminet: sic etiam Nemesis, nunc erectas mentium humanarum ceruices opprimere, et eneruare uidetur: nunc bonos ab imo suscitans, ad bene uiuendum extollit. Nemesis uero dicitur ἀπὸ τῆς ἐκάστῳ διανεμήσεως, id est a distributione quae unicuique fit. hoc Aristoteles, qui et in tertio ad Eudemum alia plura. Orpheus etiam deae hymnum composuit. Hesychius Bonam Fortunam, hoc est ἀγαθὴν τύχην, Nemesin interpretatur: et Themis, id est fas. Plinius in XI. post aurem dextram, ait locum esse Nemeseos, quae dea latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit. Idem libro XXVIII. Alii, inquit, Graecam Nemesin inuocantes, cuius ob id Romae simulachrum in Capitolio est, quamuis latinum nomen non sit. Hinc nostrum illud est ad Coelium:

Quae nec adhuc Latium nomen sortita, rependat

Diua mihi poenas, etc.

Nemeseos simulachrum Pomponius Mela, aliique, in Rhamnunte Atticae pago fuisse tradunt, opus Agoracriti, uel Phidiae. Hesychius: In Rhamnunte, inquit, Atticae pago Nemeseos erecta fuit statua δεκάπηχυ, id est decem cubitorum, unius lapidis, id est ὀλόλιθον opus Phidiae, in manu habens mali ramum. de hac eadem sic Strabo libro IX. Rhamnus Nemeseos statuam habet, quod Diodoti opus plerique dicunt: aliqui uero Agoracriti Parii, quae ex magnitudine pulchritudineque perfecta magis ac [p.640] magis est, et cum Phidiae operibus aemulatione contendit. Plinius uero de Agoracrito Pario et Alcamene Atheniense agens: Certauere, inquit, inter se ambo Phidiae discipuli, in Venere facienda: uicitque Alcamenes non opere, sed ciuitatis suffragiis, contra peregrinum suo fauentis. quare Agoracritus ea lege signum suum uendidisse,

ne Athenis esset, et appellasse Nemesin. Id positum est in Rhamnunte pago Atticae, quod M. Varro omnibus signis praetulit. Ausonius in Mosella:

Et Latiae Nemesis non cognita linguae.

Sed scribentem praestat audire Pausaniam hac de re in Attica: A Marathone, inquit, stadiis XL. Littorali uia ad Oropum euntibus, Rhamnus decurrit. domicilia incolarum ad mare posita sunt. paulo inter continentem Nemeseos fanum est, quae dea super caeteros deos aduersus superbos inexorabilis est: ut barbaris quoque, qui in Marathona uenerant, huius deae ira multum obstitisse uideatur. nam Athenarum opes aduersus se contemnentes, iam tum Parium marmor acceperant, quod ad trophaeum erigendum uehebant. id marmor Phidias excidit in deae huius statuam. corona capiti apposita est, qua et cerui et Fortunae (si Domitium interpretem sequamur: si uero graecum codicem, Victoriae) parua signa continebantur. in manu altera erat ramus μηλέας, id est ex malo arbore: uel μελίας, id est ex fraxino. uariant enim exemplaria: et perinde qui interpretati sunt, ancipites fuere. Sed tamen et Eudemus huic imagini in Veneris specie formatae, in dextra mali ramum dedit. sic et Suidas. in laeua uero phiala, in qua Aethiopes efficti erant. cuius rei causam neque ego (ait Pausanias) coniectura per me assequi potui: neque eorum opinio, qui se id scire putant, mihi probabilis uisa est. Graecum extat tetrastichon inter graeca Epigrammata, de hac ipsa Nemesi, quod ab Ausonio Gallo est ita traductum:

Me lapidem quondam Persae aduexere, trophaeum

Vt fierem bello, nunc ego sum Nemesis.

At sicut Graecis uictoribus asto trophaeum,

Punio sic Persas uaniloquos Nemesis.

Quod si graece mauis, ita habe:

καὶ με λίθον πέρσαι δεῦρ' ἤγαγον, ὄφρα τροπαῖον

στήσωνται νίκας, εἰμί δε νῦν Νέμεσις.

ἀμφοτέροις δ' ἔστηκα, καὶ ἐλλήνεσσι τροπαῖον νίκας, καὶ πέρσαις, τοῦ πολέμου Νέμεσις.

Legitur praeterea et finis epigrammatis Theaeteti:

Sum Victoria certe [p.641]

Nunc ego Erechthidis Assyriis Nemesis.

Extat et distichon, quo Nemesis effingitur cum freno et mensura cubiti: quo significatur, nihil sine mensura et freno agi oportere. Ipsum tale est:



ἡ νέμεσις προλέγω τῷ πήχει, τῷ τε χαλίῳ,  
μή τ' ἄμετρον τι ποιεῖν, μή τ' ἀχάλινα λέγειν.  
hoc est:

Praedico hac Nemesis norma simul, hisque  
lupatis,

Non effrena loqui, et nil fieri absque modo.

Scio ab aliis aliter expressum. Ego non  
elegantiam, sed fidem sum secutus. Sed redeo  
ad Pausaniam, qui et hoc subdit: Neque hoc  
Nemesis simulachrum, neque aliquod aliud  
antiquum alas habebat, sed postea apud  
Smyrnaeos simulachra alata fuerunt: et nisi  
Nemesi alae additae, ueluti et Cupidini: quia  
huius deae numen in his potissimum apparere  
autumant, qui amore capti sunt, ut in Aegereae  
Fortunae imagine supra diximus. hinc Catulli  
illud:

Ne poenas Nemesis reposcat a te,

Est uehemens dea, laedere hanc caueto.

Et in Narcissi fabula etiam ostendit Ouidius.  
Sunt qui Nemesin Fortunam faciant, ut ex  
Marcellino supra dictum est. Sic et Claudianus  
contra Alaricum, Rhamnusia:

Sed dea quae nimiis obstat Rhamnusia uotis,  
Ingemuit, flexitque rotam.

Non desunt qui apud Hesiodum iustitiam  
interpretentur, cum cecinit, Αἰδώς καὶ  
Νέμεσις, id est, Et Pudor et Nemesis homines  
reliquerunt, et ad immortalium coetus  
ascenderunt. ad quae uerba, illa Iuuenalis in  
sexta referuntur:

Paulatim deinde ad superos Astraea recessit,  
Hac comite, id est pudicitia, qui uerus pudor  
est:

Atque duae pariter fugere sorores.

Sed cur et Pomponii Laeti de Nemesi dea,  
uerba ex Capitolino et Ammiano interpolata,  
non recitem? Is igitur libro II. Romani, inquit,  
profecturi ab bellum, Nemesi sacrificabant et  
munus gladiatorum edebant: quod non sine  
ratione factum arbitramur. Virgo et Victrix  
Nemesis numen fuit, quo qui malefactis  
delinquebant, puniebantur: unde uictores  
Nemesin non frustra inuocabant. Romani  
enim semper iusta mouere arma: caeterae  
nationes odio et maleuolentia, liuoreque, quod  
imperium tantae urbis iustitia ageretur, tela in  
populum Romanum capiebant.

Nemesis, quam plerique existimauere esse uim  
Fortunae, alii filiam Iustitiae, alii uim quandam  
esse inter coelestes discurrentem, prima rerum  
semina, quae fatorum et sortium uires  
temperat atque emendat, [p.642] rebus  
humanis trutinam adhibens, e coeloque terrena

despectans, nocentes punit, bonis praemia  
largitur: et cum sit uelocissima, quia diu non  
permittit impios praeesse atque grassari, alata  
fingitur a ueteribus: et eius pedibus supponitur  
rota, cum citissime discurrat. Sed tamen  
multitudine scelerum indignata, oculos iam diu  
ab rebus humanis auertit, et cum genitrice in  
remotiore parte coeli ultra terrarum regiones  
non reditura, renascentem orbem expectat.  
eadem Adrastia et Rhamnusia appellata, ut  
mox dicemus. Nunc et aliquid de Nemesis  
fabula afferamus. Nemesin Oceani filiam et  
Noctis, canit in Theogonia Hesiodus. Nemesin  
uero Iouem amasse perhibent. Cum ea  
auersaretur, dolis illam aggressus est, ut  
tradidimus in Castoribus: non opus est ut  
repetam. Demetrius Scepsius existimauit  
Nemesin Dianam esse, ut Suidas testis est.  
Legi postremo qui Nemesia, id est Νεμέσεια  
apud Demosthenem interpretentur,  
parentationum sacra. Ego uero non Nemesia,  
sed Νεκύσεια legerem libentius, de quibus in  
nostris Sepulchralibus aegi pridem. Scribit  
Phurnutus, quod Nemesis Ὅπις etiam dicitur,  
ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὀπισθεν, quod scilicet  
occultet retro, et conseruet quae a nobis facta  
sunt punitione digna.

Adrastea uero nuncupata, uel ἀπὸ τοῦ α  
στερητικοῦ μορίου, καὶ δρασμοῦ. uel ut ait  
Phurnutus, παρὰ τὸ ἀεὶ δρᾶν, quasi ἀεὶ  
δραστεία, quod nihil eam impediatur, nihil  
frustetur, nihil ea infectum relinquatur. uel ut  
Pausanias ait ἀπὸ διδράσκειν, quod scilicet  
nemo nocens meritam poenam unquam  
effugerit, etiam si aliquando serius assequitur.  
Antimachus poeta ab Adrasto denominatam  
his uerbis ait:

Est dea quam Nemesin dicunt, dea magna,  
potensque,

Quae bona coelestum consensu cuncta  
deorum

Possidet, huic primus sacratam condidit aram

Fluminis Aesapi gelidas Adrastus ad undas.

Hic ubi nunc coliturque, atque Adrastea  
uocatur.

Quam sententiam Strabo secutus est libro  
XIII. Alii ab Adrasto Myso, ut Pausanias  
docet, dictam existimant. Meminit et huius  
Adrasteae Zenobius in Prouerbiis, seu  
Zenodotus, et Vergilius in Ciri, ubi Charme  
nutrix loquitur,

Vt scelere infando, quod nec sinat Adrastea,

Laedere utrunque uno studeas errore  
parentem.

Sunt qui tradant, in eo loco, ubi Aegialeus Adrasti filius occisus fuit, Adrasteam aedem conditam. Diogenes apud Stephanum ait, Adrasteam dictam esse ab eius nominis nympa, quae ex Orestiadum [p.643] numero una fuit. Fuit et in Troiae regione locus Adrastia nuncupatus, ab Adrastia filia Melissi, quae ibi regnavit, ut Charax prodit libro secundo Hellanicorum. Fuere, ut in Graecis Pausaniae commentariis comperi, qui diuersam Adrasteam facerent a Nemese: ut Euripides in Rheso tragoedia, qui eam Iouis filiam: O Adrastea, inquit, Iouis filia, amoue dictorum inuidiam. Menander tamen et Nicostratus, et Antimachus, aliique eandem putarunt. Martianus de Adrastia ita quidem scribit: In senatu Iouis quaedam foemina Adrastia dicebatur, urnam coelitem superamque sortem irreuocabili raptus celeritate torquebat, excipiebatque ex uolubili orbe decedentes sphaeras, peplo inflexi pectoris, εἰμαρμένη. A Platone de Adrastia nonnihil Plotinus euariat, in libro de Prouidentia.

Rhamnusia etiam, ut docuimus, a pago Atticae regionis nuncupata est Nemesis: ut illud:

Assensit precibus Rhamnusia iustis.

Lucanus,

Et tumidis infecta colit qua numina Rhamnes.

Claudianus,

Sed dea quae nimiis obstat Rhamnusia uotis

Ingemuit, flexitque rotam.

Repete quae in Nemese scripsimus. Dicitur et Rhamnusia, forma patronymica. Ouidius in XIII,

Memorem time Rhamnusidis iram.

Rhamnus autem, ut Stephanus scribit, populus est Atticae in Aeantide tribu: dictus, quod ibi rhamnus plurima proueniat. est enim rhamnus inter ruborum genera, ut notissimum est. Ferunt enim, teste Suida, primum Veneris habitu erectam fuisse ab Erechtheo, qui Nemesin matrem habuisse fertur: atque ideo, quod Veneris specie posita fuisset, ramum ex malo arbore manu tenebat.

Muliebris Fortuna etiam cognominata apud Romanos, id est γυναικεία Τύχη, ut Pluarchus scribit: cuius simulachrum, ut in quarto de Ciuitate Dei Augustinus scribit, a matronis dedicatum fuit, et eo nomine appellatum: quod etiam locutum esse, memoriae est commendatum, atque dixisse non semel, sed iterum, propter quod eam rite matronae dicauerunt. Id uero historici in Volumniae et Veturiae honorem ac memoriam dedicatum

prodidere, quae anno post adeptam libertatem XVIII, cum Coriolanus exul bellum patriae intulisset, nec armis resisti posset, nec precibus, mulierum tamen lachrymis placatus est. ideoque templum extractum Fortunae muliebri, uia Latina, quarto ab urbe lapide: quod cum dicaretur, bis locutum esse simulachrum ferunt: auctores, Liuius, Valerius, Alicarnasseus, Plinius de uiris illustribus. Plutarchus quoque de Fortuna Romanorum, ait, in huius [p.644] templi dedicatione simulachrum ita locutum: Pie me urbis lege mulieres urbanae erexere. hoc est, ut ille graece, ὀσίως με πόλεως νόμῳ γυναικες ἀστὰι καθιδρύσασθαι. Dionysius uero Alicarnasseus in octauo ita scribit, ὀσίῳ πόλεως νόμῳ γυναικες γαμετὰ δεδῶκατέ με: hoc est, Sancta ciuitatis lege foeminae nuptae me dicastis. quo loco historiam hanc omnem, et quo die ei sacram rem facerent matronae Romanae, plene exequitur. Sane ex Latinis quidam sic afferunt hanc deae uocem, Rite me matronae uidistis, riteque dedicastis. Sed et Lactantius in secundo affirmat, non semel, hoc Fortunae simulachrum locutum fuisse. Addit et Festus, huius Fortunae signum nefas esse attingi, nisi ab ea quae semel nupsit.

Obsequens Fortuna, eodem Plutarcho auctore, cognominata, quasi dicas indulgens: uel ut alii interpretantur, Clemens. In inscriptionibus antiquis legi hanc epigraphen, et adhuc legi Comi: Fortunae Obsequenti Ord. Comens. Voto Pro Salute Ciuium Suscepto. Obsequentis Fortunae uicum P. Victor collocat in prima regione urbis, in secunda uero uicum commemorat Fortunae Respicientis: adeo mihi sapientes insanisse interdum uidentur antiqui, qui Fortunam caecam fingerent aliquando praeteritos respicere, et non potius Dei prouidentiam. Sed et aedem huius Respicientis Fortunae in colle legimus fuisse Palatino: ni forte antiquarii decepti, pro uico aedem scripserint. Idem quidem P. Victor aedem etiam Rhamnusiae in Palatino constituit.

Mammosa a Romanis etiam nuncupata est Fortuna, ob ubertatem, ut puto, et foecunditatem. Nam et eius aedem non longe a capite Viae nouae reponit P. Victor, qui et uicum Mammosae Fortunae constituit in duodecima regione urbis, quam Piscinam publicam uocat.

Antiatem deam Fortunam uocamus. Horatius: O diua gratum quae regis Antium.

Quo loco Porphyrio ait, Antii templum  
Fortunae donis fuisse opulentissimum. hinc  
nostro Hendecasyllabo et nos ad Saluiatum:

Et uirtute tua deae Antiatis

Conatus superare et hinc et inde.

Item ad Eremitam:

Sed nunc diua agitatus Antiate.

Suetonius Antianam dicere uidetur, uel potius  
Antiatenam. Codices enim uariare uidemus in  
Caligula: Monuerunt, inquit, et Antiatinae  
Fortunae, ut a Cassio caueret. Scribit  
Macrobius, se apud Antium uidisse promoueri  
simulachra Fortunarum, ad danda responsa. Id  
uero quod in Rudente Plautus ait, Vtinam  
nunc Fortuna [p.645] Anatina uterer: ab anate  
aue desumptum est, quae exit ex aqua non  
madefacta. quod idem poeta declarat. nam  
subdit: Vt cum exissem ex aqua, arerem  
tamen. Sed hic Plautinus iocus est, non deae  
cognomen. Atque hactenus de Fortuna, a sene  
parum firmo tibi habe, Guarine doctissime:  
nec munus, sed uoluntatem, rogo, metire.

SYNTAGMATIS DECIMISEXTI FINIS.